



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo Ioannem minui, Christum cescere oporteat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes baptizabat?

§. 1. EN Anon iuxta Salim. Alia enim Anon erat prope Damascum, Ezechiel. 47. 17. Syrus ait...

Aqua multis, riuus scilicet, & fontes, non autem Iordanis inundationes.

VERSVS 25.

Facta est autem questio ex discipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione.

QVÆSTIO I.

De qua purificatione facta est questio?

§. 1. NON de Iudaico ritu, sed baptismo; hoc enim mouit Discipulos, cur veniant & Ioannem moneant, zelo peruerso impulsus.

Christum baptizare asserunt; nam Apostolos baptizabat, saltem ex illis al quos, per quos ceteros dedito baptizabat.

§. 2. Ioannes respondet v. 27. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de celo; & accusationem retundit.

Syrus addit, non posse hominem accipere quidquam מן זבוח נפש Men Zebuth naphshech, ex voluntate animæ suæ.

VERSVS 29.

Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

QVÆSTIO I.

Quo similitudo sponsi pertineat?

§. 1. SPONSUS est cuius honori omnes seruiunt, & propter quem ad nuptias veniunt. Christum esse sponsum Ecclesiæ ad quem omnes conflunt, ad quem & ipsos suos discipulos ire desiderat, se amicū sponsi duntaxat esse.

Sponsi similitudo etiam eo facit, vt ostendat, soli Christo adhaerendum, eius sponsas esse animas fidelium, ceteros amicos sponsi esse, quos ille ad nuptias inuitat, vt coniugium honorent, non vt sponsam illis prostituat.

§. 2. Bullingerus furiose oppugnat Romani Pontificis primatum ex eo, quod Ioannes se sponsum negarit. Monstrum esse ait eam Ecclesiam, quale illud Horatianum.

Humanò capiti ceruicem pictor equinam Iungeret.

At vero non Petrus ipse, non Pontifex vllus sponsum Ecclesiæ se dixit, sed vicarium, & administratorem Ecclesiæ visibilis, in hac terra pugnantis; amicum sponsi. Quod si sponsi interdum nomine in spiritualibus vtuntur, aliud nihil nisi amorem & curam indicant.

VERSVS 30.

Illum oportet crescere, me autem minui.

QVÆSTIO I.

Quomodo Ioannem minui, Christum crescere oportet?

§. 1. ALLEGORICÆ interpretationes sunt: Ioannem capitis abscissione minutum Christum in cruce extensum. Ioannem se minuisse fatendo peccatorem, Christum creuisse summa innocentia. Alij sic factum opinione hominum. Quæ omnia omitto. Nam verum incrementum Christi decrementum sui viri Sanctus intelligit, quod non in eo consistebat, vt Ioannis Sanctitas, vel hominum de illo opinio minueretur, hæc enim aucta sunt, sed cum magna turba ad Ioannem confluere soleret, Christo docente, ad eum venirent, Ioanne deserto, vt quos ipse ad Christum mitteret, crescebat igitur familia Christi, decrecebat Ioannis. Hoc quod vrebat discipulos Ioannis, vt clamarent: & omnes veniunt ad illum. Suam solitudinem cum frequentia gloriaque Christi inuidiose comparantes. Ioannes respondet: sic a Deo ordinatum esse, vt ille crescat, populoque trahat, ipse vero Ioannes minuat, et tandem in carcerem compingatur.

Crescendi autem verbo de gloria & frequentia & profani, & sacri scriptores vtuntur, vt Genes. 26, vers. 3.

VERSVS 31.

Qui de sursum venit super omnes est, qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de calo venit super omnes est.

Z 4 QVÆSTIO